



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 34. De primis Paraquariæ Provinciæ Sociis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

petuo domicilio inlessi sunt. In Araucanorum rebellium finibus tres sedes positæ. In Chileni regni metropoli, præter Collegium, Seminarium etiam conditum est. Mendoçinâ sedes ad radices Chilenorum montium idè constructa, ut Chilense regnum cum Tucumaniâ neceretur. In Tucumaniâ Cordubæ Collegium, Tyrocinium, & Seminarium feliciter surgebant. Portus Boni-aëris ad excipiendos ab Europâ venientes Socios opportunissimâ sede occupatus. Stabilitâ verò in Sanctæ Fidei urbe domo, Paraquaria Tucumaniâ commissa est. Collegium Assumptionis Socios versùs Saranam, & apud Guaicuræos Guairanosque, in quatuor sedibus degentes, sub tutelâ habebat. Sic immensam terrarum molem, mediæ Europæ propè parem, exiguo numero opportunis intervallis distributo, Didacus Torres comprehendit, paucitatem Sociorum industriâ & magnitudine animi compensans. Hæc de locis summatim.

CAPUT
XXXIV.
De primis
Paraquariæ
Provinciæ
Sociis.

*Operum va-
rietas.*

*Per adversa
res promota.*

*Sociorum
ardor.*

Et tyronum.

*Selectus So-
ciorum ad
Missiones.*

Socii illustres

QUIS jam sigillatim referat ex his sedibus ad remota vicinaque loca ordinarias excursiones? Præcipuas attigimus: de reliquis, ne paria passim narremus, & brevitati studeamus, satis erit dixisse, in tribus amplissimis Præfecturis studio pari per frequentes Indorum & Æthiopum baptismos, Neophytorum expiationes, Hispanorum exhomologeses, amicitiarum redintegrationes, vitiolorum publicorum amolitionem, & consuetæ vitæ Jesuiticæ munera, magnam messem ubique fuisse collectam. Dubium est, per prosperane magis, quam per adversa, rem Christianam Socii promoverint: nam vexatio ex servitio personali orta peperit nobis amplissimas Provincias, & novas sedes ad promulgandam Legem Divinam ab Rege Catholico, ac Regiis Prætoribus, & Senatoribus Societati assignatas. Quamvis verò plerique Socii, ut in rerum initiis fieri solet, si pauculos veteranos excipias, juvenes essent, cupiebant tamen omnes defectum ætatis virtutum maturitate supplere. & quæcumque res sanguinem, pericula, egestatem, iniurias, vexationes pro Christi gloria ac animarum salute promittere videbatur, impavidè effundebantur. Tyrones in eam spem se exercebant, & ægrè post tyrocinium ad studia cogebantur, aventes per æmulationem in arenam citò descendere, ne materiam totam (ut est timida spes) sibi veterani præriperent. Expoliebantur tamen eò accuratiùs, quò solidiores virtutes operæ inter Indos exigunt. Operosè admodum Didacus Torres ad Claudium Aquavivam scribebat, monens, ne quamvis virtutem putarent Provinciales Europæi docendis Indis idoneam esse, sed selectissimos mitterent. Ex subsidiariis ab Europâ advectis non quivis temerè ad opus Evangelii inter Indos disseminandi eligebantur, nec æstimabantur operarii ex floribus desideriorum, sed ex soliditate virtutum: solebatque Didacus Torres ad delectum faciendum indicere Sociis octiduana supplicia, & Deum in Venerabili Sacramento palam exposito diu multumque consulere. Nec fefellit Deus vota supplicantis: nam ex ejus delectu prodire multi præcellentes Missionarii, Rochus Gonsalvius, Martinus Aranda, Horatius Bechius, Petrus Romerus, palmam cruentæ mortis pro Christo obitæ consequuti: Melchior Vanegas, Antonius Ruifius, Marcellus Lorençana, Xaverius Urtasum, Didacus Boroa, Josephus Cataldinus, Simon Maçera, Darius Morellius, & alii sanctitatis famâ inter illustres nostræ Societatis Heroës locum amplissimum meriti. Nec exempla defuere, ut sit, ab tanto gradu, adeoque ab Societate, defciscantium, quòd animi virium parvitatem cum operis Evangelici magnitudine non comparantes, ab primo animi fervore torpuissent. Paucorum casu reliqui excitabantur ad conservandum vigorem: unde factum, ut per totam Americam & Europam, longè lateque vulgaretur fama Paraquariensium Sociorum, quos supremæ etiam potestates, & viri præcellentes, beneficiis & favoribus animabant ad constantiam. Ordiam ab summo capite.

CAPUT
XXXV.
De novæ
Provinciæ
benefactoribus.

PAULUS Quintus Pontifex Maximus Episcopum Chilensem, nostris rebus non satis amicum, brevi diplomate monuit, ut Societatem amaret; quidquid in eam beneficii contulisset, illud se tanquam sibi præstitum agniturum. Philippus Tertius Rex Catholicus pro transportandis ex Europâ subsidiariis Sociis sæpè &

liberaliter